



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon  
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs  
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,  
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

**Pontano, Giovanni Giovano**

**Venetiis, 1519**

De Altero extremo id est Rusticitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12960**

Siquidem ipsis in confessionibus ac circulis, hominumque congregatione, quæ ad recreationem animorum, familiaremque ad affabilitatem fit, et loqui confessores ipsos usuenerit, et audire per uices quasi quædam. Is igitur a dicente delectus iocorum dictorumque habendus est, ut et suam tueatur, et astantium personam, nec non et ætatis, et temporis, et loci, et rerum ipsarum, ipsiusque ciuilitatis, in primis uero honesti, decorique ratio habeatur, ut (quod in epulis exigatur) nec inuisa sint iocata, nec nimis falsa, quæque nec ieiuna sint, ac macrescētia, neque crassa nimis, stomachoque proorsus in grata, namque ut ea conuicijs careant, ac maledicentia, abhorreantque ab inuehendo, hoc quoque ciuilibus et legibus et institutis cautum est, uindicaturque nunc supplicij, nunc mulctæ. Quod quid est aliud, quam abuti uelle iocis? qui cum inuenti sint ad refocillationem, eos quis obsecro conuertat, nisi rixator quispiam, ad odia, similitates, contentiones, ac tumultus? Quæ quidem ipsa et tenenda et sequenda sunt faceto, perinde ut recta dicitur ratio, eiusque alumna prudentia, ut et quid, et quantum decet, et quomodo, et quo tempore, quoque item loco, et apud quos, quæque item alia delectum comitantur, ad hamissim (ut dicitur solet) cuncta perpendat, dirigatque ad normam.

De Altero extremo id est

Rusticitate.

His itaque explicatis primo de his dicendum uidetur, quæ in defectu uersantur, quem habitum rerum scriptores moralium Rusticitatem libenter appellauerunt, neque improprie sane, neque inconsiderate, cum teneritas ipsa iocandi ciuilis admodum res sit, contra rusticorum hominum siue rigiditas, siue iocandi fuga atque horror, inhumanus ille quidem, ab omni iucunditate auersus. Nam et homo ad risum sponte sua instinctus est atque ad iocum refocillationis gratia, perinde atque agendi gratia ad seueritatem, et laborem. Neque enim a Philosophantibus non et apte, et secundum naturam homo risibile animal est dicitur, quemadmodum et equus hinnibile, mugibile autem bos. Ad hæc quota laborum est susceptio, quæ non et quietem respectet, et antequam ad exitum qui ipse finis quidam est, peruenierit, et recreationem desideret, et intermissione quandam, per quam post ad laborem ipsum, susceptumque ad opus, resurgat robustior, nouatorque, quasi quidam ceptam iam resumat actionem.